



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Per aduersa viam esse ad victoriam & coronam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Atque hoc octauum est inimicæ *Fortunæ* remedium, quod identidem Christus ipse discipulis inculcauit: *Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis.* In quæ verba Imperfecti operis author ait: *Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoria prædam; quanto magis nos opprobria mundi non debemus timere, qui regni caelestis præmia speramus?* Item: *Pensate confusionem hanc terrenam cum gloria illa caelesti, & videte, si non multo lenius est, quod patimini super terram, quàm quod expectatis in celo.* Hoc significabat iter Israëlitarum, qui prius, per mare rubrum transire, quàm ad palmas, in terra Elim, peruenire, debuerunt. Palma est caelestis gloriæ symbolum: qua de caussa vidit Ioannes multitudinem beatorum innumerabilium palmas manibus gestantium. Palmæ sunt signa victoriæ. Victoria sine pugna non venit: quàm, etiam in sanctis præcessisse, ibidem aperuit senex vnus beatorum palmam manibus gestantium, nam ad Ioannem accedens dixit: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? cui Ioannes: Domine mi, tu scis, & dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum. Per sanguinem, igitur, aut per tribulationem, non quamcunque, sed per magnam, velut per mare quoddam Erythræum ac rubrum, itur ad palmas illas. Nisi præcesserit pugna, ait S. Cyprianus, non potest esse victoria, tunc datur vincentibus corona. Nam gubernator, in tempestate dignoscitur. In acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculum non est. Consiectatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non imbuetur; & nauis, quæ forti compage solidata est, fluctibus pulsatur, sed non frangitur.*

Ita se fecisse testatur Apostolus dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, nempe in carceribus, in flagris multis, in mortibus frequenter. Cur ita? quia in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Siquidem omnes, qui piè volunt viuere in Christo IESU, persecutionem patientur. Quibus solatium ingens affert idem Paulus his verbis: Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Leuem tribulationem vocat, non in se ac natura,*

XIV.

Matth. 5. 11.

Exod. 15. 27.

Apoc. 7.

S. Cyprianus, serm. de mortalitate.

XV.

2. Timoth.

4. 7.

2. Timoth.

3. 12.

1. Cor. 4. 17.